



PRAEFATIO.

Si quicquam est, quod medico artem suam felici cum successu exercituro scitu est necessarium, eiusque famae et existimationi maiora asferre valet incrementa, haec certe est scientia, quae remedia singularibus aegri conditionibus accommodata inueniendi eademque praeparandi methodum tradit. Quaecunque enim in omnibus aliis disciplinae medicae partibus docentur, nullum alium in finem ab artis salutaris studio discuntur, quam ut hominis sanitatem in casu quouis obuiio singulari vel praesentem conseruandi, vel eam, quod frequentius contingit, amissam restituendi cognitione instruantur. Sic saltem, ut hunc obtineat finem, studium suum ita dirigere deberet atque instituere, cui ad praxin se applicandi medicam est animus. Verum enim vero maximo opere est dolendum, plerosque peruerso procedere ordine, dum vel theoriae duntaxat subsidia eam ad praxin applicandi

X 2

ne-

negligentes operam nauant, vel theoria, vel plane non vel leuiter tantum instructi morborum curationem aggredi conantur. Qualem vero hi vtrique in artis exercitio sibi polliceri possint fortunam, collectu est facillimum, diuque iam innumeris experientiae testimoniis confirmatum.

Complurium medicorum artem suam exercentium mos est et consuetudo, vt ad certas remediorum formulas, quas alii bonas et probatas proclamauerunt, se adstringant, iisque, scientia de ingredientium virtute, et ea, quae ex singulorum virtutibus coniunctis exsurgit, efficacia iudicandi destituti vel promiscue vtantur, vel eas saltem minus prudenter adhibeant. Alii contra, nec pauci, qui, quamuis aliis se sagaciores esse putent, medicinae partes, materiam inprimis medicam, et methodum concinnandi formulas, historice tantum calient, eo procedunt audaciae, vt ipsi nouas remediorum formulas concinnent, easque ad datos casus accommodent, sed eheu! qui, quales et quanti hac in re ab illis non committuntur errores: id quod vnicuique scientia formulas praescribendi instructo et eorum praescripta intuenti facillimum erit perspectu. Deprehendet nimirum, eos saepissime

PRAEFATIO.

piissime in praescribendo remedio coniungere, quae vel plane non coniungi possunt, vel, si se coniungi patiantur, ratione virtutis, quae intenditur, se mutuo destruunt.

Neque id maximopere est mirandum, cum non levis requiratur scientia ad formulam medicam regulis exacte respondentem concinnandam. Quaecunque enim remedii praescribatur formula, illa, uti ex ipsa apparebit pertractatione, semper materiam medicamento determinare debet. Cum vero haec ex triplici petatur naturae regno, minerali scilicet, animali et vegetabili, eiusque virtutem materia doceat medica, eam ut perfecte calleat medicus formulam concinnaturus necesse est. Quamvis vero hanc medicinae partem probe cognitam habere debeat ac perspectam, qui formulas artis regulis consentaneas vult concinnare; nihilominus tamen eum et pharmacologia et indicationum doctrina penitus imbutum esse oportet. Haec etenim ipsum instruit, an, quid, quibus auxiliis, quo tempore, modo et ordine sit agendum, et de aliis scitu necessariis circumstantiis; illa vero varios, quibus medicamentum praeparari potest, modos ipsum docet, atque, cum modus praeparandi medicamentum eiusdem de-

PRAEFATIO.

terminet formam, quae in quavis, uti ex inferius dicendis clarius apparebit, formula necessario est designanda, patet exinde, quam necessaria medico formulam praescripturo sit pharmaciae cognitio. Nec sane horum superficialia, ut vulgo occurrit, hic requiritur cognitio, cum, quomodo quis, quem indicationum doctrina latet, num quid, quodnam sit agendum, quibusnam utendum ad hoc obtinendum remediis, determinare, medicamenti materiem, quae ipsi ignota est, in formula indicare, pharmacopoeo leges dare ignarus ipse agendorum, et medicamenti effectum praesagire possit, quem eius natura et virtus fugiunt, plane concipi nequeat. Atque ex his facile est collectu, non adeo levis, uti multi sibi persuadent, esse operae negotium, quod circa formulas versatur concinnandas.

Verum enim vero omnes, qui a medicis in formulis praescribendis committuntur, errores excusari et ipsis ignosci possent, nisi cum ipsorum famae, et aegrorum salutis, quin vitae periculo essent coniuncti. Omnia enim, quae cogitat et deliberat medicus, cuius consilium ab aegro expetitur, eiusque sola absoluuntur speculatione, aegro non profunt, nisi remedio praescripto iusteque

PRAEFATIO.

que applicato in actum deducantur, et tum demum, hoc si rite factum et dextre curatum fuerit, finis obtinetur artis; cum contra, si quid in praescribendo remedio temere, imprudenter, sine ratione, et perfunctorie fuerit positum, medicus facile a scopo suo aberrare, et sine suo plane excidere possit, utcumque ceterum recte collineauerit. Qua de re, cum non ex iis, quae animo concepit, sed chartae mandauit medicus, de eiusdem peritia et curandi methodo iudicetur et decernatur, formulae praescriptionem rem esse cum non leui tum medici tum aegri respectu periculo coniunctam, fatis superque apparet.

Et profecto, ex formula a medico praescripta quilibet medicinae perfecte gnarus eiusdem eruditionis magnitudinem facile metiri potest. Nam leui ipsi patet negotio, num eas omnes, quae methodo praescribendi formulas principia suppeditant, disciplinas calleat, ipsasque leges in concinnanda formula obseruandas probe intelligat. Quin peritissimus quisque ex medici formula artis regulis consentanea facile perspicere potest, quoniam finem remedio assequi intendat, et, siqua ex formula hoc cognosci nequit, iure exinde conficitur, medicum, qui formulam praescripsit, vel nul-

PRAEFATIO.

lum plane, quem remedio intenderit, sibi praefixisse scopum, vel eo excidisse, vel denique artis praescribendi formulas fuisse ignarum. Si ita eorum, qui multum se in praxi profecisse gloriantur, formulae a perito examinarentur, quam paucae eiusmodi examen cum laude sustinere possent, et quot censura non essent dignae!

Sed, ne praefationis limites transgrediar, nimisque sim longus, ad propositum propius mihi est accedendum, rationesque, quibus commotus hunc de formulis concinnandis edidi libellum, sunt declarandae. Multi quidem eiusdem argumenti libri iam prostant, ita, ut alio eorum numerum augere supervacaneum videatur; nihilominus tamen, si verum fateri fas est, plerique ita sunt comparati, ut argumentum nec distincte nec adaequate nec legitimo in iis pertractatum fuerit ordine. Omne fere id, de quo sermo est, nec est definitum, vel, si hoc, quod tamen rarissimum est, factum fuerit, saltem non legitime explicatum, theses probatione et determinatione indigentes sunt nec rite determinatae nec demonstratae, notiones vel fere omnes neglectae, vel non legitime conditae, propositiones sibi contradicentes et falsae accumulatae, regularum multae sunt
adeo

PRAEFATIO.

adeo instabiles, vt saepius negligentur, quam obseruentur, aliae vero inter se pugnant, exceptiones regulis sunt longe numerosiores, atque haec omnia non possunt non intelligenti maximum creare taedium. Quærat quis in libris de formulis definitiones formulae, baseos, adiuuantis, corrigentis, constituentis, aliarumque rerum, quas, quo minus attingam, spatii angustia prohibet, et thesium demonstrationes, et certus sum, eum haec omnia non esse deprehensurum. Accedit ad haec, quod auctores, qui de formulis concinnandis scripserunt, in libris suis eiusmodi exemplorum loco substituerint formulas, quarum pleraeque vel plane non, vel saltem rarissime in certis tantum quibusdam casibus minus obuiis possunt adhiberi. Equidem probe scio, non dari medicamentorum formulas eidem scopo in uniuersum et semper aptas, valdeque improbo morem istum, quo praxeos doctores tirones suos ad certas tantum easque paucas medicamentorum formulas se adstringere, iisque vel parum vel plane non mutatis in omnibus omnino casibus singularibus, qui tamen maxime diuersi sunt et omnimode determinati, vti iubent; nihilominus tamen hoc tantum vrgeo et volo, exemplorum loco in libris de formulis

PRAEFATIO.

commodius posse subiungi formulas medicamentorum vſitiores, frequentius occurrentes, tutiores, quam inuſitatas infrequentes et minus tutas, atque id eo magis neceſſarium eſſe exiſtimo, cum non omnes, qui medicinam didicerunt, facultate polleant medicamentorum formulas legitime concinnandi.

Quae omnia cum mecum penſitarem, inceſſit me cupido, opusculum de methodo praefcribendi formulas medicamentorum ita elaborandi, vt ea, quae paulo antereprehendi, emendarem, illudque edendi. Accidit deinde, vt, cum aliquando ſermones cum ILLVSTRI DOMINO BVCHNERO, MEDICORVM PRINCIPE ET PATRONO MEO SVMMO, quem maxima animi religione colere nunquam deſinam, de rebus ad medicinam pertinentibus conferrem, inciderem in formularum medicarum mentionem, atque ipſi quod cepi, propoſitum, libellum, de methodo concinnandi formulas medicamentorum, edendi aperirem. ILLVSTRIS HIC VIR non meum ſolum adprobauit propoſitum, ſed me etiam ad id perficiendum incitauit, atque, cum tunc temporis de formulis praefcribendis praelegere vellet, hoc meum, quod nunc prodiit, opusculum dignum

PRAEFATIO.

gnum reputavit, quod suis praelectionibus destinaret, eamque ob causam eius fini *syllabum materiae medicae selectioris* subiunxit. Ego vero in elaborando hoc opusculo eum secutus sum ordinem, qui legibus cogitandi naturalibus maxime est conformis, atque id ita instituendum sum ratus, ut ea praemittantur, ex quibus, quae sequuntur, sunt intelligenda, definitiones legitime condantur, et asserta ratiociniorum legitime cohaerentium ope demonstrantur. Si vero hunc violaverim ordinem, non meus certe animus, sed virium mearum imbecillitas, et temporis, qua exclusus fui, angustia erit accusanda. Exemplorum loco subiunxi formulas usui aptas, tutas, et frequenter occurrentes, idque eo facilius facere potui, cum mihi per longum temporis spatium perpetua cum *Medico quondam illustri et Viro de medicina immortaliter merito* FRIDERICO HOFFMANNO consuetudine frui, atque eius non a manibus solum esse, sed eiusdem etiam priuatissima in addiscenda et exercenda praxi medica opera uti licuerit, eoque duce commodissimam me in aegris visitandis et curandis, consiliisque elaborandis medicis exercendi habuerim occasionem. Subiunxi igitur hoc in opusculo medicamentorum formulas, quibus
Cele-

PRAEFATIO.

Celeberrimus hic quondam Medicus saepissime fuit usus, alias tamen pro meae mentis perspicacia et arbitrio mutavi, multas ipse concinaui atque ad eius mentem accommodaui; id quod eo magis fuit necessarium, quo certius est, non quamvis medicamento formulam cuiusvis exempli loco substitui, eoque fungi posse. Maximum vero, quod me, ut hoc ita facerem, incitavit, argumentum hoc est, quod eos imitari noluerim, qui coeco animi impetu rapti et auctoritatis praeiudicio capti praeceptorum asserta examini nec subiiciunt, nec, si vel maxime vellent, in eorum veritatem inquirere possunt, sed ea, quamvis sint falsa, tanquam ex tripode dicta venerantur, alios docent, et sic errores extirpandos propagant. Multa quidem nec inutilia praeter ea, quae iam hoc in opusculo sunt contenta, proferre, aliaque prolixius pertractare potuissem, sed, cum negotiorum meorum multitudo me impediret, quo minus prius, quam anno hoc ineunte manum huic operi admovere possem, illudque mihi paschate statim praeterlapso esset perficiendum atque ad finem perducendum, tempori mihi fuit cedendum. Hoc praeterea monendum esse duco, quod, cum mihi multis negotiis

PRAEFATIO.

gotiis implicito vix tantum temporis
suppetierit, vt libellum hunc, cum sub
prelo esset, semel tantum perlustrare, et
vitia tum a me in scribendo, tum a typo-
grapho commissa emendare potuerim,
partim mea, partim typographi culpa mul-
ta irrepserint vitia typographica. Reli-
quum quod est, *Te, Beneuole Lector*, vt
errata typographica amice corrigas, et
meum *Tibi* inseruiendi studium serena
et beneuola accipias mente, maximopere
rogo. Vale, mihiq; faue. Dabam
Halaë Magdeburgicae, die XI Aprilis
MDCCXLVII.



INDEX